

stet de justitia causæ ex parte subtrahentis testes, sed de ea remaneat dubium, tunc præsumitur quod subtrahens ille foveat injustam causam; et sic, loquendo de causa civili, amittit ipsam ex tali præsumptione. Farinacius loc. cit. n. 143. Quin etiam in criminalibus præsumptio delicti oriens ex subtractione testium contra subtrahentem, transfert in ipsum onus probandi suam innocentiam; alias condemnabitur, juxta Hostiensem cit. c. *Pervenit*. il. 1. n. 1. et 2. h. t. quem sequitur Farinacius d. q. 78. n. 148.

17. *Certum est, in causis civilibus posse testes cogi ad testificandum, nisi reperiantur privilegiati.* — Quæritur III. Utrum non solum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus, testes sint cogendi ad perhibendum testimonium? Resp. I. Certum est, quod in causis civilibus testes possint compelli ad testificandum, nisi reperiantur expresse privilegiati, de quibus § seq. n. 28. et seqq. Ratio est, quia jura hactenus allegata ad minimum procedunt in causis civilibus. Idque patet ex cap. 1. et vi. h. t. ubi sermo est de causa matrimoniali, et consanguinitate probanda. Item ex cap. 11. et 13. juncta Glossa fin. eod. ubi clare habetur, in causis civilibus posse cogi testes; cum similibus.

18. *De jure civili etiam in causis criminalibus cogendi sunt testes.* — Resp. II. Utrum in causis criminalibus cogendi sint testes, variant doctores. Et quidem loquendo de jure civili, regula est affirmativa, quod videlicet quilibet possit cogi ad ferendum testimonium, nisi reperiatur exceptus. Ita desumitur ex l. *Si quando*. c. h. t. juncta Glossa ibid. §. *Causis*; quæ istud ulterius probat ex eo: quia cum quidam excusentur, ut inviti non dicant testimonium, l. IV. et seqq. ff. *de Testib.* consequens est alios ad hoc compelli. Atqui ideo hanc sententiam in jure civili esse expeditam, eamque servari de consuetudine, asserit Jul. Clarus in *Praxi crimin.* lib. V. § fin. quæst. 24. n. 21. et Sigism. Scaccia cit. lib. II. *de Judiciis*. cap. x, n. 12. allegans capellam Tholosanam decis. 413. in fin.; Follerum in *Pract. crimin.* can. rubr. *Testibusque diligenter examinatis*, cap. VIII. n. 5. et n. 34. et alii.

19. *An idem sit dicendum de jure canonico, variant doctores.* — Verum loquendo de jure canonico, diversæ sunt doctorum sententiæ. Et quidem affirmativam sententiam, seu spectato etiam jure canonico testes in criminalibus cogi posse ad testificandum,

originaliter docuit Hostiensis in *Summa* h. t. n. 2. appellans falsam opinionem doctorum antiquorum, negativam tenentium. Zoesius n. 2. h. t. rationem dans, quod reipublicæ intersit crimina sciri, ne maneant impunita. Et huic sententiæ multum favet Glossa fin. in c. *Dilectorum*. vers. *In contrarium*. h. t. ipsamque in praxi hodie esse receptam. refert Scaccia cit. cap. x. n. 16; Jul. Clarus de quæst. 24. n. 21. in fin.; Barbosa c. *Dilectorum*. n. 4. h. t. et Farinacius cit. quæst. 78. n. 120. in fin. ubi n. 116. pro hac sententia plures alios doctores allegat. Negativa e contra sententia, abstrahendo a speciali locorum, seu tribunalium consuetudine, videtur juri conformior; atque magis recepta inter canonistas doctrina, quamquam etiam ipsa quasdam patiatur limitationes. Unde

20. *Secundum canones, in causis criminalibus regulariter testes non possunt cogi.* — Resp. III. Secundum sacros canones, in causis criminalibus regulariter testes non possunt cogi ad testificandum. Ita Glossa c. *Super eo*. §. *Passim* et c. *Pervenit ad nos*. §. *Recusant*. et c. *Dilectorum*. §. *Super criminibus*. h. t.; Speculator tit. *de Testes*. § *de Testium compulsionem*. n. 4; Innocentius cap. II. n. 2. h. t.; Abbas cit. c. *Dilectorum*. n. 3. eod.; Pirhing h. t. n. 11. et seqq.; Farinacius cit. quæst. 78. n. 115. allegans plurimos alios, hancque appellans communem opinionem canonistarum. Atque pro hac regula facit textus in d. c. *Dilectorum* 10. h. t. illis verbis: « Testes, qui fuerint nominati, præterquam super criminibus) si se gratia, odio, vel timore subtraxerint) per censuram ecclesiasticam cogatis veritati testimonium perhibere. » Ubi exceptio illa, « præterquam super criminibus, » firmat regulam in oppositum. Concordat c. *Ex parte*. 7. *de Testib.* juncta Glossa fin. ubi dicitur, quod in crimine probando testes sunt monendi, non cogendi.

21. *Peccatum fratris tacere, non est peccatum, sed meritorium; et quando?* — Accedit ratio, quia peccatum fratris tacere, non est peccatum (saltem regulariter, et quando sine periculo dissimulari potest) imo est laudabile, ac meritorium arg. can. *Si peccaverit*. 2. quæst. 1. Simulque in infamiam alterius nemo facile debet prosilire, arg. can. *Ex merito*. et can. *Summa iniquitas*. 6. q. 1. ergo multo fortius nemo debet ad hoc compelli.

22. *Vel maxime testes non sunt cogendi, quando agitur de probando crimine occulto.* —

Atque hæc conclusio vel maxime procedit, quando agitur de probando crimine occulto: quia tunc multo minus testes cogendi sunt, per jura proxime allegata, juncto c. *Super eo*. 3. h. t. ubi dicitur: « Verum si non est notorium... testes qui interfuerunt facto, monendi sunt, non cogendi, » etc., ac notat Joan. Andreas c. *Dilectorum*. n. 11. vers. *In occultis*. h. t. hinc excipiens crimina occulta perniciosa; ut est hæresis, dilapidatio, et hujusmodi; Farinacius d. quæst. 78. n. 121. allegans alios.

23. *Vel quando ex tali depositione grave periculum, v. g. capitalis inimicitie, imminet testi.* — Atque id ipsum incunctanter etiam est dicendum, quando ex depositione super crimine alterius grave periculum, v. g. capitalis inimicitie, imminet testi: quia tunc non debet judex eum cogere. Baldus c. *Dilectorum*. n. 6. et Felinus ibid. n. 3. h. t.; Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 487. n. 3. et seqq. qui tamen extra tale periculum arbitrantur, testem esse cogendum ad testificandum etiam in criminalibus favore reipublicæ, ne crimina maneant impunita. Rationem dant, quia nemo potest cogi testificari in præjudicium suorum consanguineorum, vel affinium, l. *Lege Julia*. ff. *de Testib.* cum concordantiis: ergo multo minus, æquitate naturali sic suadente, cogitur quis testificari in præjudicium proprium adeo magnum, quale est inimicitia capitalis, quæ ex testimonio in causa capitali consurgere solet, arg. c. *Cum P.* 10. *de Accusat.*

24. *In certis casibus, etiam de jure canonico, coguntur testes ferre testimonium in causis criminalibus.* — Resp. IV. Patitur nihilominus data conclusio quasdam limitationes, atque in certis casibus testes etiam de jure canonico coguntur ferre testimonium in causis criminalibus. Ita Abbas c. *Dilectorum*. n. 6. h. t. nonnullas tales limitationes assignans; et subjungens, promptum esse, hoc modo jura juri concordare. Farinacius cit. c. quæst. 78, n. 122. et 124. ac seqq. et alii.

25. *Ut, quando veritas aliter haberi non potest.* — Sic imprimis testes ad testificandum compelluntur, quando veritas aliter haberi non potest: et hoc non solum in civilibus, sed etiam in criminalibus. Textus est in c. *Pervenit ad nos*. 5. juncto *Summario*, et Glossa §. *Ecclesiasticis* h. t. ubi in causa injuriarum enormium clericis illatarum illi, « qui testificari recusant, si aliter veritas nequiverit elici, ad illud sunt per censuram eccle-

siasticam compellendi. » Abbas cit. c. *Dilectorum*. n. 6. h. t.; Pirhing eod. n. 13; Socinus in *Fallentiis*, reg. 417. fallent. 1; Farinacius d. quæst. 78. n. 124. allegans plurimos alios.

26. *Vel, quando adversa pars malitiose impedit testium productionem. Item quando ipsimet testes esse subtrahunt timore, gratia, vel odio.* — Deinde testes in criminalibus compelluntur testificari, quando adversa pars malitiose impedit eorum productionem, c. *Pervenit ad audientiam*. 4. h. t. Item, quando ipsimet testes sese subtrahunt timore adversæ partis, c. *Super eo*. 3. eod. quem timorem eo ipso præsumi, quod quis monitus sit, et nolit testificari, censet Glossa in cit. c. *Super eo*. §. *Timore*. Idemque dicendum, quando testes sese subtrahunt non solum timore parlis adversæ (ut vult Abbas in cit. c. *Super eo*. n. 2.) sed etiam gratia, vel odio aliquo; ut c. *Cum contra*. 9. et cap. ult. h. t. ubi expresse dicitur, testes etiam in criminalibus, utpote de quibus ibidem agitur, esse cogendos ad perhibendum testimonium veritati, « si se gratia, odio vel timore subtraxerint: » haud obstante, quod in cit. c. *Super eo*. eod. de solo timore fiat mentio. Farinacius cit. quæst. 78, n. 126. cum plurimis aliis.

27. *Et in criminibus summe perniciosis hæresis, læsæ majestatis, etc.* — Insuper in crimine hæresis, læsæ majestatis, conjurationis, simoniæ, aliisque hujusmodi gravissimis, summeque perniciosis criminibus compelluntur testes, haud obstante, quod simus in criminalibus: talia enim crimina nequeunt dissimulari, neque reticeri in summam perniciem communitatis, can. *Si quis per capitulum*. 22. q. 1. et cap. ult. h. t. cum similibus; Baldus ad rubric. h. t. n. 2; Joan. Andreas d. c. *Dilectorum*. n. 11. h. t.; Socinus cit. reg. 417. fallent. 3; Pirhing h. t. n. 19; Farinacius d. quæst. 78. n. 189. et seqq., allegans alios, et de singulis talibus criminibus specialiter differens: quamquam n. 199. recte subjungat, quod ubi agitur causa sanguinis, tunc clerici sint excipiendi, nec cogendi ad ferendum testimonium, propter periculum irregularitatis; estque jam dictum supra tit. præced. § 6. n. 170 et 171.

§ II.

DE PERSONIS PRIVILEGIATIS, VEL NON, A FERENDO TESTIMONIO.

28. *Plures sunt personæ privilegiate a ferendo testimonio.* — Quæritur I. Quænam sint

personæ privilegiatæ; ita ut non possint cogi ad ferendum testimonium? Resp. I. Plures esse tales personas :

29. *Ut parentes, et liberi adversus se.* — Et imprimis excipiuntur parentes et liberi, qui non solum non coguntur inviti adversus se dicere testimonium, sed ne quidem volentes admittuntur, l. *Parentes. c. de Testib. quæ est canonizata in can. Si testes. § Parentes. 4. q. 3.* ubi dicitur: « Parentes, et liberi invicem adversus se nec volentes ad testimonium admittendi sunt. » Et merito: ne quocumque modo vel pietas in liberis (sub his quoscumque descendentes comprehendendo) vel charitas in parentibus lædatur, si adversus se testari eos contingat. Concordant dicta superius, tit. præced. § 5, n. 144. et seqq. ubi plura de hoc.

30. *Agnati et cognati usque ad tertium gradum.* — Deinde agnati, et cognati, non possunt compelli ad testificandum contra suos consanguineos usque ad tertium gradum inclusive. Glossa fin. in can. *Consanguinei. 3. q. 5;* Abbas c. *Litteras. n. 8. vers. Et quod dixi de Præsumption.;* Mascardus de *Probation. concl. 74. n. 3;* Farinacius de *Testib. quæst. 54, n. 23.* allegans alios. Idque desumitur ex l. 4. ff. *de Testib. quæ est canonizata in can. Si testes. 4. q. 3;* § *Lege Julia publicorum.* ubi cavetur, ne consanguinei inviti cogantur adversus se dicere testimonium usque ad « sobrinum et sobrinam, sobrinove natum; » quos tertio gradu secundum canones ab invicem distare, constat ex arbore consanguinitatis.

31. *Agnati et cognati, qui, et quomodo differant?* — Ubi sciendum, quod Agnati dicantur illi, qui propter virilis sexus cognationem sunt conjuncti: adeoque eodem nomine gentilitio, familia et insigniis utuntur. Cognati autem vocantur, qui per fœminei sexus cognationem sanguine junguntur; prout habetur § 1. Instit. *de Legitima agnator. tutel. et l. Sunt autem agnati. ff. de Legitimis tutorib. et l. Inter agnatos. ff. Unde legitimi.* Quamvis in hoc ultimo loco addatur, quod Cognatorum nomen latius pateat: adeo, ut agnati etiam censeantur cognati, sed non econtra: prout v. g. omnis emptio est pactum, sed non econtra; cum pactum sit genus respectu emptionis, ut exemplificat Glossa ibid. §. *Continentur.*

32. *Affines, qui sibi instar parentum, et liberorum sunt, inviti non coguntur adversus se testimonium perhibere, et quales illi sunt.* —

Insuper affines, qui sibi instar parentum et liberorum sunt, ut socer, gener, vitricus, privignus, inviti non compelluntur adversus se testimonium perhibere, cit. l. 4. ff. *de Testib. et can. Si testes. 4. q. 3. § Lege Julia publicorum,* quo utroque in loco etiam subjungitur, « generi appellatione, sponsum filia quoque contineri; item soceri, sponsæ patrem. » Et merito tales personæ sunt privilegiatæ, ne cogantur adversus se dicere testimonium: quia durum, et naturali affectioni contrarium esse dignoscitur, ut quis invitus contra suum sanguinem, vel affinitate adeo conjunctum, atque in præjudicium ipsius, passim compellatur testimonium.

33. *Differentia inter agnatos et affines, et inter parentes et liberos quo ad hoc.* — Est tamen differentia inter agnatos et affines, ac hujusmodi, et inter parentes et liberos. Nam hi non solum non possunt cogi, sed neque volentes admittendi sunt ad testificandum contra se, cit. l. *Parentes. c. h. t.* Illi vero licet non cogantur inviti, tamen volentes admittuntur. Vallensis h. t. n. 6.

34. *Quando veritas aliter haberi nequit, possunt agnati et affines cogi ad ferendum testimonium.* — Deinde dicitur illud, quod cognati et affines, non cogantur adversus se dicere testimonium, procedit quidem regulariter: fallit tamen, quando veritas aliter haberi non potest. Nam, ubi ob defectum aliarum probationum, sive testium, veritas aliunde nequit haberi, cessat harum personarum privilegium: atque possunt eadem cogi ad ferendum testimonium in subsidium etiam contra se invicem: idque publicæ utilitatis causa, quæ privato affectui præferenda est. Ita desumitur ex c. *Pervenit ad nos. 5. h. t.* ibi: « Si aliter veritas nequiverit elici: » juncto cap. ult. eod. ibi: « Ne pro defectu testium pereat sua justitia; » cum similibus: ac notat Hostiensis in cap. 1. n. 2. et Joan. Andreas ibid. n. 5.; et Abbas n. 4.; et Felinus n. 8. h. t.; Vallensis eod. n. 7; Farinacius cit. quæst. 78. n. 77. et n. 108. allegans plurimos alios.

35. *Adhuc tamen est disparitas inter privilegiatos, et non privilegiatos; et qualis?* — Neque hinc inferre licet, quod frustraneum sit harum personarum privilegium. Resp. enim cum Joan. Andrea, et Abbate, ubi supra, et aliis, adhuc disparitatem esse inter privilegiatos, et non privilegiatos: nam non privilegiati possunt compelli ad ferendum testimonium hoc ipso quod nominantur, seu in tes-

tes vocantur, et moniti testificari recusant, etiamsi veritas aliunde haberi possit. At vero personæ privilegiatæ non coguntur, nisi ubi per alios nequit veritas apparere; ut can. *Quanquam. 14. q. 2.* ubi Glossa §. « Occultetur, inquit, istud esse regulare, quod in defectum probationum quilibet possit cogi, ut c. *Pervenit ad nos. 5. de Testib. cogend.* » Nam qui veritatem occultat, peccatum committit mortale, can. *Quisquis metu. 11. q. 3.* ut loquitur Glossa in cap. 1. §. *Occulent. h. t.*

36. *Inviti non coguntur ferre testimonium senes, valetudinarii, milites, etc. Et in quo sensu?* — Rursus inviti testimonium dicere non coguntur senes (id est, majores septuaginta annis; ut l. 1. c. *Qui ætate, etc. et l. 3. ff. de Jure immunit.;*) item valetudinarii, milites, vel illi, qui cum magistratu reipublicæ causa absunt, vel quibus venire non licet, cit. can. *Si testes. 4. q. 3. § Inviti. et l. 8. ff. de Testib.* juncta Glossa ibid. Quod tamen intelligendum est, non quod tales simpliciter exempti sint a ferendo testimonio; sed ne inviti longius evocentur ad judicem. Idque merito statutum est, partim propter eorum impotentiam, qualis reperitur in senibus, et valetudinariis, ac hujusmodi; partim propter occupationem, qua definentur milites, et alii reipublicæ causa absentes: et hinc, quando vocantur in testes, ad ipsorum domum pro recipiendo testimonio suo mittendum est, c. *Si qui testium. 8. de Testib.*

37. *Clerici in certis casibus non coguntur testificari.* — Tandem, ut omittantur nonnulli alii, de quibus fit mentio in sæpe cit. can. *Si testes. 4. q. 3.* Clerici in certis casibus, ac præsertim in causa sanguinis propter periculum irregularitatis, non coguntur testificari; prout uberius jam dictum est tit. præced. § 6. n. 170. Et multo minus possunt iidem ferre testimonium super auditis in confessione, propter sigillum ipsius; estque amplius dictum tit. 18. *De Confessis. § 6. n. 133.* Verum occasione horum:

38. *Utrum clericus possit compelli ad ferendum testimonium contra suam Ecclesiam? Et ratio dubitandi ac negativam tenendi.* — Quæritur II. Utrum clericus, ab alio invocatus, possit compelli ad ferendum testimonium contra suam Ecclesiam? Ratio dubitandi ac negativam tenendi est: quia clericus, qui contra Ecclesiam, a qua beneficium obtinet, pro extraneis advocatus, vel procurator esse præsumperit, potest tanquam ingratus beneficio hujusmodi spoliari, per textum ex-

pressum in cap. ult. *de Postulando:* idem ergo dicendum de testimonio adversus Ecclesiam suam ferendo. Accedit, quod nemo cogatur esse testis in præjudicium fratris et cognatorum suorum, l. 4. ff. *de Testib. et can. Si testes. § Lege Julia publicorum. 4. q. 3.* ergo nec clericus in præjudicium suæ Ecclesiæ: quia nulla ejus proximior videtur, quam Ecclesia sua, quæ ipsum domino sociavit, c. *Presbyteri. 2. de Pœnis.* Tandem, nemo debet petere ab adversario suo propria instrumenta, cap. 1. *de Probation. et can. Si testes. § Qui intendit. 4. q. 3.* ergo neque actor potest exigere probationes, seu attestationem fieri sibi per clericum Ecclesiæ, contra quam agit. Verum his in suo robore relictis.

39. *Quando Ecclesia producit clericum pro se in testem, tenetur is etiam testificari contra eam.* — Resp. I. Quando Ecclesia producit clericum pro se in testem, tunc is, quando rei veritas ita exegerit, tenetur etiam testificari contra Ecclesiam. Ita Glossa c. *Cum nuntius. 12. §. Repellendi. et Abbas ibid. n. 2. de Testib. et alii.* Ratio est, quia testis pro utraque parte tenetur deponere; ac dicere veritatem, can. *Non sane. 14. q. 5.* ac proinde hoc ipso, quod Ecclesia inducat pro se testem clericum, tenetur ipsum recipere contra se, can. *Si testes. § Si quis testibus. 4. q. 3.* cum concordantiis.

40. *Sed si producit ab adversario, timetque sibi de damno aliquo, potest se clericus excusare a ferendo tali testimonio.* — Resp. II. Quod si vero Ecclesia non produxit clericum illum pro se in testem, sed inducitur ab adversario, tunc clericus ille, quando timet aliquod damnum temporale, vel spirituale inde sibi imminere, puta a populo, vel alio potentiore, potest se excusare a ferendo tali testimonio. Ita Baldus in cit. c. *Cum nuntius. n. 1. de Testib.* id probans ex eo: quia, si non cogitur quis in præjudicium fratris, vel consanguineorum ferre testimonium, l. 4. ff. *de Testib. cum similibus;* ergo multo minus cogetur illud dicere in præjudicium tam grave sui ipsius.

41. *Extra hos casus, si non adsunt alii testes, compellitur clericus perhibere testimonium veritati etiamsi cederet in damnum Ecclesiæ.* — Resp. III. Extra hos casus est distinguendum: quia aut reperiuntur alii testes, per quos veritas haberi potest; et non compellitur clericus testificari contra Ecclesiam. juxta textum notabilem in can. *Quarquam. 14. q. 2.* et favent rationes dubitandi pro-

me allatæ : aut non adsunt alii testes, per quos veritas aperiatur, et tunc compellitur clericus perhibere testimonium veritati, etiamsi cederet in aliquod damnum Ecclesiæ. Ita Glossa un. in cit. c. *Cum nuntius*. et Abbas ibid. n. 4. de *Testib.* et alii. Ratio est, quia in defectu probationum cessat omne privilegium, ne veritas occultetur, et iniustitia foveatur, cit. can. *Quamquam*. 14. q. 2. et cap. 1. juncta Glossa *Occultent*, h. t. et c. *Pervenit ad nos*. 5. eod. cum similibus. Majorque debetur reverentia veritati, quam Ecclesiæ, præsertim, cum iniquum sit, Ecclesiam contra alium injuste locupletari, vel manuteneri, atque cum gravi alterius læsione veritatem opprimi. Accedit, quod clericus possit testificari in favorem Ecclesiæ suæ, cit. c. *Cum nuntius*. 12. de *Testib.* estque amplius dictum tit. præc. § 7. n. 197 et seqq. ergo æquum est, ut pro manutenenda veritate etiam contra eam testificari valeat, saltem in subsidium, seu quando alii testes non adsunt : puta, quando ipse adfuit contractui per œconomum nomine Ecclesiæ celebrato, cum aliquo laico, qui soluta jam pecunia urget ejus observantiam, nec aliter nisi per clericum potest probare celebrationem illius, aut solutionem pecuniæ a se jam factam.

42. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Nec urgent rationes dubitandi n. 38. allatæ. Non quidem cap. ult. de *Postuland.* Quia ibi sermo est de munere advocati, vel procuratoris quorum prius aliunde clericis prohibitum est, cap. 1. de *Postuland.* posterius autem nemo invitus suscipere compellitur, 1. *Invitus*. c. de *Procuratorib.* Secus est dicendum de testibus, quos cogi posse ad ferendum testimonium, præsertim ubi veritas aliunde haberi non potest, patet ex toto hoc titulo. Ad secundam dicitur, etiam cognatos et affines cogi ad ferendum testimonium, quando aliter veritas haberi non potest, ut dictum n. 34. unde ista ratio militat in oppositum. Ad tertiam dicitur, ipsam procedere in instrumentis, non in testibus, horumque attestatione, cum proprie nomine instrumenti non veniant, ut dictum n. 14. Accedit, quod res, seu causa Ecclesiæ, non sit res vel causa clerici : unde requirendo clerici testimonium contra Ecclesiam, in defectum aliarum probationum, nequiquam petuntur instrumenta e domo adversarii. (ADNOTATIO I ad calcem hujusce voluminis.)

43. *Potest cogi ad testificandum, qui juramento se obstrinxit ad nihil dicendum, nec testi-*

ficandum. — Quæritur III. An possit cogi ad testificandum, qui juramento se obstrinxit ad nihil dicendum, seu non testificandum? Resp. I. Non obstante juramento, quo testis juravit se nihil dicturum, neque depositurum in judicio, potest is ad testificandum compelli. Ita textus in c. *Pervenit ad audientiam*. et Glossa ibid. *Juramento astrinxit*. et Abbas n. 2. h. t. Mascardus de *Probat.* quæst. 5. Proëm. n. 47. 48. et seqq. ubi n. 49. istud extendit ad eum casum, quo quis sub juramento promisit alicui non revelare arcana sibi privatim commissum; nam si producat in testem, tenetur (inquit) illud detegere. Farinacius de *Testib.* quæst. 78. n. 49. allegans plurimos alios. Concordat cap. ult. h. t. et c. *Constitutis*. 45. de *Testib.* ubi testes inducti « ad jurandum, ne adversus Archiepiscopum aliquid dicerent, » denuntiantur a juramento hujusmodi non teneri. »

44. *Et hujus ratio.* — Accedit ratio, quia tale juramentum est temerarium, et contra bonos mores prælitum; estque vinculum iniquitatis, ne scilicet veritas manifestetur, et justa sententia sequatur : atqui « non est obligatorium contra bonos mores prælitum juramentum. » juxta reg. 58. juris in 6. Confirmatur : quia simpliciter jurans de non revelando, vel intendit comprehendere casum testimonii judicialis non ferendi; et illicitum fuit juramentum, utpote factum contra jus superioris, c. *Venientes*. 19. de *Jurejurand.* Vel non intendit, nec cogitavit casum illum comprehendere; et sic juramentum illud ad talem casum non extenditur, et consequenter hic et nunc non obligat, can. *Humanæ aures*. 12. q. 5. Ita argumentatur Abbas in cap. ult. n. 3. h. t. et post ipsum Mascardus cit. quæst. 5. n. 50. et concordant proxime dicenda n. 46.

45. *Imo talis potest testificari nulla prævia sui juramenti absolutione quamvis hanc præmittere sit consultus.* — Resp. II. Post ejusmodi juramentum de non testificando factum, potest quis in testem vocatus, ac judicialiter deponere jussus, nulla alia prævia illius juramenti absolutione testificari, quamvis, si juramentum illud sit publicum, consultus sit, absolutionem ad cautelam ab eodem petere, vel saltem, ut judex prius declaret nullitatem ejus. Ita Glossa in cap. ult. *Sacramento absolvant*. et Abbas ibid. n. 3. h. t.; Valensis eod. n. 3; Pirhing n. 19; Mascardus cit. quæst. 5, n. 48; Farinacius d. quæst. 78,

n. 150. et 151. et alii. Et quidem consultus esse, talem absolutionem ad cautelam, seu declarationem nullitatis juramenti præmittere, non est, cur negetur : idque convincunt jura, et rationes in progressu adducendæ.

46. *Juramentum de non testificando, est contra bonos mores, sicque non obligat.* — Prior autem pars ex eo probatur; tum quia tale juramentum non est obligatorium, utpote prælitum contra bonos mores : unde absque ullo periculo perjurii potest quis ipsi contravenire, c. *Quanto*. 18. de *Jurejurand.*, tum quia in omni juramento præter alias conditiones, de quibus jam dixi in *Theologia moralis*. tract. VI. distinct. 2. n. 23. tacite subintelligitur conditio illa, « si potero (quia ad impossibile, de jure vel facto, nemo tenetur, juxta reg. 6. juris in 6. juncta Glossa, et doctoribus ibid.) et, salvo jure, et auctoritate superioris; » prout liquet ex c. *Venientes*. 19. de *Jurejurand.* Atqui tale juramentum est observatu impossibile, saltem de jure; cum sit vinculum iniquitatis, et contra bonos mores; simulque præjudicat juri superioris, nempe judicis publica auctoritate constituti, et juridice interrogantis; ergo.

47. *Declaratur istud in crimine simoniæ.* — Utraque hæc conclusio declaratur exemplis. Sic in c. *Constitutus*. 45. de *Testib.* ubi testes aliqui leguntur antea fuisse inducti ad jurandum, ne quid dicerent contra archiepiscopum de simoniæ crimine accusatum, hoc non obstante coguntur testificari : jubetque Papa judici a se delegato, « ut illos, quos jurasse constiterit, quod contra archiepiscopum nihil dicerent, denuntiet juramento hujusmodi non teneri. » Quæ posteriora verba clare indicant, juramentum ejusmodi ipso jure fuisse invalidum, veluti contra bonos mores prælitum : quia pontifex non mandat suo delegato ut illos a suo juramento prius absolvat; sed solum ut denuntiet illos suo juramento non teneri.

48. *Et conjurationis seu conspirationis subditorum contra prælatum suum.* — Deinde in cap. ult. h. t. compelluntur testes ad manifestandam veritatem conjurationis, seu conspirationis subditorum contra suum prælatum, etiamsi prius juraverint eam celare, et nullatenus manifestare : ita tamen, ut prius illi, quorum interest, per censuras ecclesiasticas cogantur, ut testes illos « ab hujusmodi juramento absolvant. » Ubi tamen Glossa *Juramento absolvant*, et Abbas ibid. n. 3.

aliqui notant, quod absolutio illa seu relaxatio juramenti non fuisset necessaria, sed potius sit facta ad cautelam : qua ratione quandoque aliquos absolvi ad cautelam, ut possint testificari, patet c. *Veniens ad Apostolicam*. 38. in fin. de *Testib.*

49. *Et in inquisitione super reformatione monasterii.* — Simile quid habetur c. *Pervenit ad audientiam*. 4. h. t. et c. *Olim*. 26. de *Accusation.* ubi in inquisitione super reformatione monasterii jubentur omnes regulares deponere, « juramentis, si quæ de tacenda veritate abbas extorserat, relaxatis, » ut loquitur textus. Quamvis enim talia juramenta ipso jure non teneant, utpote præstita contra bonos mores : nihilominus ad cautelam, majorisque securitatis gratia, non immerito prius relaxantur, vel saltem per judicem prius denuntiantur esse invalida, præsertim quando existunt notoria : ne testi illi quoquo modo vitium perjurii objici valeat sicque minus valeat testimonium ejus; vel ne ipse judex perjurium videatur in testem admisisse. Pirhing h. t. n. 18; Farinacius cit. quæst. 78, n. 150. allegans alios.

50. *Atque in denuntiationibus matrimonialibus. Consciis impeditenti matrimonii tenetur istud denuntiare, etiamsi sub secreto acceperit, vel etiam sub juramento, ne quid dicat.* — Hoc ipsum est extendendum ad denuntiationes matrimoniales. Quando enim quis conscius est alicujus impeditenti, quantumvis illud extra confessionis sigillum sub secreto acceperit, vel etiam sub juramento, ne quid dicat, nihilominus tenetur illud denuntiare. Sanchez lib. III. de *Matrim.* disp. 13, n. 5. et 6. citans plures alios. Ratio est, quia secreto commissa tenetur quis manifestare, quoties vergunt in damnum publicum communitatis, vel in grave damnum alicujus tertii, ut inquit divus Thomas 2. 2. q. 70, art. 1. ad 2. ac sequuntur theologi communiter; prævalet enim bonum communitatis, nec habet quis jus ad tuendam famam suam cum tam gravi damno proximi. Atqui istud contingit in impedimento matrimoniali secrete cognito, utpote quod, si non denuntietur, vergit tum in præjudicium alterius conjugis bona fide contrahentis cum tali impedimento, ut pote non solum mortaliter peccantis, sed etiam in apertum periculum permanendi in concubinato sese conjicientis; ergo.